1532. 18. Jun.

P. Tomicius Episcopus Cracoviensis Regni Poloniae Vicecancellarius Christoforo de Szidlovic Castellano Crac. Cancellario

Magnifice Domine.

Ad ea quae mihi Mcia Vestra super instituto Mci Domini Palatini Russiae affinis sui et Consanguinei mei Charissimi scripsit, tamdiu non respondeui, non est factum ulla vel neglientia vel oblivione mea sed quod in hac animi perturbatione, et anxietate in quam me induxit malevolentia hominis non solum Personae meae sed etiam omnium bonorum inimicissimi, urbe discedere et in rus animi gratia secedere coactus fuerim, ubi neque scribendi neque mittendi literas, per aliquot dies facultatem et commoditatem habere potueram. Quare Mciam Vestram rogo id bene moram et tarditatem, in respondendo meam boni consulere velit.

Sub idem tempus quo literas a Mcia Vestra acceperam redditae etiam mihi fuerunt literae Mcis Dominationis Palatini Russiae quibus omnem instituti et voluntatis suae, rationem mihi descripsit, Quae res cum mihi non modo non decora

sed et factu admodum hoc tempore, propter multas magni momenti causas difficilis videretur dehortatus sum Majestatem Vestram a suscepta deproficiscendo extra Regnum cogitatione, omnibus judicii mei persuasionibus, apud Majestatem contendens ut hoc institutum deserendae Patriae deponere, Regni Majestati amicis toti denique Reipublicae, suo discessu non incommodare, praestat siquidem Patriam rebus bene gestis illustrare quam alienae Reipublicae, utcunque labenti ope vel auxilio inservire. haec autem ego feci partim monitus Majestatis Vestrae partim officio meo inductus tametsi non ignorem plus authoritatem et Consilia Majestatis Vestrae apud Majestatem Meam quam persuasionem meam, ponderis habere, facturus et deinceps omnia quae ad retinendum illum in Patria facere posse videbitur.

Rogaverat a Majestate sua ut ego id taciturnitate celatum retinerem, quod ego quidem illi praesto sed tamen ceteros nihil minus praestare video qui palam inter vulgus hoc jam praedicant et affirmant, Cum regia autem Majestate ea de re aliquid conferam, operiar Majestatis suae responsum quam confido mutata voluntate mihi responsuram esse.

Dominus

Dominus Caspar Maciejowski pridie hu
vecta ex Ratisbona a Cesare venit, is refert Ce
sarem cum Serenissimo Rege Romanorum, Fratre suo et
Omnibus Imperii Principibus, facere grandem
adversus Turcos praeparationem, cujus magnam
Partem, tam in exercitu quam in operibus bel
licis extare jam dicit. Dicit etiam post paucos
Dies huc apud Nos affuturum Reverendissimum Domi
num Joannem Dantiscum Episcopum Culmensem
qui cum omnium rerum cogitationem teneat, nobis
singula certius verius exponere poterit.

Ex Ungaria incerta adhuc nunciantur, nam
alii Budae alii in aliis variis locis Turcorum Ca
stra esse praedicant, in quibus ego tunc primum
meam firmabo fidem cum a Domino Lau
rentio Miuschowski Castellano Biecensi Oratore
Regio, aliquid de his certi afferetur, quod cum erit
ego Maiestati Vestrae perscribere nihil morabor.

Interim me illius amori et benevolentiae fra
ternae Commendo et cum omnibus suis felicissi
mam esse atque recte in multos Annos sanam
et incolumem ex animo cupio

Cracoviae, 18. Junii Anno 1532.